men, partim ex crassa deformatæ religionis juxta ac Lutheranę discriminis ignorantiâ, quam passim prodit, tandem exclamaret: *Ego* (Elias Grebenitz) *cum ex præcepto Christi pacem colere habeo, cultam habeo, habeboq;* (cum Lutheranis, quibus transfuga non potest non benè cupere) *in exemplum Antecessoris Conradi* (non Johannis, cujus duriora verba supra adducta sunt) *Bergij, & Præceptoris mei, Gregorij Franci, Philosophorum pariter ac Theologorum incomparabilium.* En heroicum Calvinianorum Heroum simiam; qui quondam Lutheranus, summos in Philosophia Wittebergæ Anno 1652. honores ambiens, confessus est, & propria manu ac ore testatus, se Augustanæ Confessioni eiq; invariatę Annno 1530. Carolo V. Imperatori exhibitæ, & in libro Concordię explicatæ, ὁλοψύχως addictum esse! Si cœcus cœcum sequitur, nonne ambo infoveam se dabunt præcipites?

§. 14. Utinam vero incomparabilium cœcorum suorum Ducum amore non occœcatus foret Eridonopoeta, in verborum Christi, in quibus omne sui ac suorum pacis desiderij præsidium ponit, applicatione, & præmissarum cum conclusione connexione, magno Logicæ & Theologicæ suę scientię, quam gloriose spirat, periculo, forsan non adeò cœcutiret. Verùm, illo semel in transversum abreptus, summa confundit imis, rotundis quadrata miscet; & seipsum vix intelligit, dum intelligendo facit, ut fermè nihil intelligat. Neq; enim dilectionis gradus, nec diligendorum hîc discernit classes; nec pacis, ut par erat, evolvit diversitatem. Alia sane Christi & discipulorum ipsius dilectio est generalis, quæ fovet omnes homines: alia specialis, quę corporis Mystici membris propria est. Hæc, quæ cum primis Joh. XIII. 32. ubi illa Christi leguntur verba, discipulis injungitur, & ab Hæreticis expetitur, non ista, quę etiam hosti debetur, Calvinianis denegatur; qua nec Christus nec Apostoli Pseudodoctores (quos, ceu seductores, lupos graves, Pseudo-Apostolos, ministros Satanę, operarios iniquitatis, canes, homines corruptos, & circa fidem reprobos, impostores, Anti-Christos, cavendos severiter indixere) unquam sunt dignati; tantum abest, ut Christus ibi cum

Cal-